



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO CHRISTI 1574. bertas, hac generali constitutione fancimus, vt nec collegium, nec alia vniuersitas, vel singularis persona, cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipsorum, publice pecuniam fenebrem exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittat; sed huiusmodi usurarios manifestos omnes infra tres menses de terris suis expellant, nunquam aliquos tales de cetero admissuri. Nemo illis ad fenus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint, si personæ fuerint ecclesiasticæ, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, suspensionis, minores vero personæ singulares excommunicationis, collegium autem seu alia vniuersitas interdicti sententiam ipso facto se nouerint incursuras. Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum, quamdiu in eis iidem usurpii commorantur, extunc ecclesiastico subiaceant interdicto. Ceterum, si laici fuerint, per suos ordinarios ab huiusmodi excessu, omni priuilegio cessante, per censuram ecclesiasticam compescantur.

XXVII.

Idem in eodem. Quamquam usurpii manifesti de usurpis, quas receperant satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in ultima voluntate mandauerint, nihilo minus tamen eis sepultura ecclesiastica denegetur, donec vel de usurpis ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfac-

Concil. Tom. 28.

Dddd ij

Etum, vel illis quibus est facienda restitutio, si praestato sint ipsi, aut alii qui eis possint acquirere, vel eis absentibus loci ordinario, aut eius vices gerenti, siue rectori parochiae, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia: quibus quidem ordinario, vicario, & rectori, praedicto modo cautionem huiusmodi eorum nomine liceat praesentis constitutionis auctoritate recipere: ita quod illis proinde actio acquiratur, aut seruo publico de ipsius ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum. Ceterum si receptarum usuriarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione praedicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem huiusmodi arbitrio moderandam. Ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur; &, si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos, & alios qui manifestos usurarios contra praesentis sanctionis formam ad ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam, poenae in Lateranensi Concilio contra usurarios promulgatae statuimus subiacere. Nullus manifestorum usuriarum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, siue ipsos absoluat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum praestent, ut praemittitur, idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usuriarum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso iure.

XXVIII.  
*De iniuriis, & damno dato.*

Gregorius decimus in generali Concilio Lug-